



I. Abteilung: Abhandlungen.

De Convenientia Incarnationis Domini.

Dissertatio.

Scriptis D. Philippus Claramunt, O. S. B., mon. Montserratensis.

a) „Videte qualem charitatem dedit nobis Pater“, ait B. Joannes, „ut filii Dei nominemur et simus“. Quid dicis, secretorum Cordis Jesu contemplator mirifice? Quomodo non magis charitatem admiraris et admirari nos facis qua Deus Pater dedit nobis Filium suum, siquidem ex doni excellentia amoris magnitudo dignoscitur qui donationis est causa? Coapostolus tuus Paulus, charitatem considerans qua proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum, non modo de caeteris donis Dei non miratur, sed impossibile esse significat ut non omnia cum eo nobis donaverit: quare ergo tu, Apostole sancte, postquam Dominus Jesus charitatem commendavit qua missit Deus Filium suum in mundum, dicens: „Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum Unigenitum daret“, charitatem admiraris qua nos Deus adoptavit in filios? — Vere in primis, pie lector, si ad humilitatem naturalis nostrae conditionis attendas simulque ad Divinae Majestatis gloriam, magna est atque miranda ea ad cujus considerationem B. Joannes citatis verbis nos invitat, Dei erga nos dignatio benignissima, ut corporei cum simus atque terreni, ipse qui purus spiritus est, et lucem inhabitat inaccessibilem, in suos nos voluerit assumere filios; nec titulo tenus solummodo, ut ipse Joannes innuit, sed reipsa participes nos faciens divinitatis suae. Verumtamen nihil Deo dignius quam deos facere, quia omne agens agit sibi simile. Propter quod formaturus hominem in principio, cum animam ejus, quae ipsa natura sua imago divinitatis est, perfectionis quoque et gloriae similis divinae videret esse capacem, ipsam non naturalibus

tantum virtutibus praeditam, sed suae quoque vitae vel naturae voluit esse consortem, dicens: „Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram“: ad imaginem quippe Dei facta est anima secundum naturalem substantiae spiritualis excellentiam; ad Dei vero similitudinem per gratiam sanctificantem, per quam elevatur homo ad dignitatem et perfectionem filii Dei adoptivi. Imago equidem aliquid dicitur propter similitudinem; unde conceptus imaginis conceptus similitudinis est: propter quod Scriptura nomen imaginis quandoque usurpat ad significandam eam quoque similitudinem quam per gratiam habet anima ad Deum, ut cum ait Apostolus: (Colos. III, 9, 10) „Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit illum.“ Sed cum similitudo animae ad Deum spectari possit secundum animae substantiam, et secundum qualitates ejus naturales vel supernaturales, hinc anima ipsa secundum suam substantiam dici potest imago Dei. Sic ergo, quamvis nihil alicui rei similis quam imago ejus, et ideo in conceptu imaginis tota similitudinis ratio includitur, ut verificatur in Filio Dei, qui est Imago Patris perfectissima; nihilominus, cum anima sit imago Dei secundum suam substantiam, et haec imago perficiatur per accidentia; cum praeterea naturali perfectioni animae adjungatur supernaturalis per gratiam; ideo ratio imaginis Dei in anima importare potest plus minusve similitudinis ad Deum, ut significet vel substantiam animae tantum, vel perfectionem ejus naturalem, vel etiam supernaturalem. Quapropter si imagini similitudo superaddatur, intelligendum videtur similitudinem adjectam esse tamquam imaginis perfectionem. Sic ergo, cum naturalis perfectio animae non sola substantia ejus contineatur, sed ejus etiam accidentibus vel qualitatibus; Dei autem propositum creandi hominem nequaquam hunc respiciat ut imperfectum, sed ut perfectum, sive naturaliter sive supernaturaliter; hinc per imaginem, in citatis Scripturae verbis propositum creandi hominem significantibus, perfectio hominis naturalis intelligenda videtur, per similitudinem vero perfectio supernaturalis. Quae quidem supernaturalis perfectio hominis completur per lumen gloriae: nam quamvis per dona supernaturalia quae tempore peregrinationis a Deo accipimus, divinae naturae, teste B. Petro, consortes efficimur; sed tunc, docente B. Joanne, simpliciter similes Deo erimus, quum videbimus eum sicuti est. Verum adhuc haec perfectio, quae totalis est respectu filii adoptivi, non est completa respectu societatis filiorum adoptionis, quia sub hoc respectu completur in filiorum Primogenito, qui non adoptione filius Dei est, sed natura, et cujus imagini omnes filios adoptionis, teste B. Paulo, voluit Deus conformes fieri, qui fratres ejus sunt secundum humanitatem ab eo

assumptam, secundum quam ipse caput est non solum hominum sed et angelorum, totius videlicet societatis beatorum. Et quidem in Apocalypsi (cap. XXII) ipsa Christi humanitas exhibetur tamquam societatis beatorum complementum, dum divina dona quorum participatione sancti in coelis beate vivunt, dicuntur procedere de sede Dei et Agni. „Et ostendit (angelus) mihi, ait B. Joannes, fluvium aquae vitae, splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni.“ Porro hujus fluvii aqua ipsa est de qua Dominus dixit ad mulierem Samaritanam: (Joan. IV) „Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi: da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam.“ Et rursus dixit ei: „Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.“ Quid autem sit aqua ista quae vocatur a Domino donum Dei, alibi declarat Evangelium: nam dicente Domino: (Joan. VII) „Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae“, subdit Evangelista: „Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum.“ Fluvius igitur aquae vitae, quem vidit B. Joannes in Apocalypsi, communicatio est Spiritus Sancti ad beatos, quae laetificat civitatem Dei, quoniam regnum Dei est justitia et pax et gaudium in Spiritu Sancto. Similiter, describens B. Joannes, ejusdem Apocalypsis cap. XXI, coelestis Jerusalem magnificentiam et pulchritudinem, de luce ibi fulgente ita eloquitur: „Et civitas non eget sole neque luna, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus.“ Per hujusmodi porro Scripturae locutiones edocemur ad perfectionem societatis beatorum pertinere communicationem Dei ad illos tamquam hominis. Et quidem societati viventium de spiritu Dei non alium decet praesidere nisi Deum, quem tamquam societatis caput oportet esse membrum homogeneum. Beati namque respectu Dei sunt termini causalitatis ejus, non objecta actionis ejus, ad quae nimirum ipse se convertat; objectum enim actioni praesupponitur, extra Deum autem nihil praesupponitur actioni Dei, sed omnia habent rationem effectus; nec Deus se convertit ad aliquid extra se, sed in sui tantum contemplatione atque amore intellectum et voluntatem suam exercet. Deus igitur, ut Deus, est fons vitae unde sancti beate vivunt; sed ut societatis sanctorum caput existeret, debuit naturam creatam assumere, ut habitudini membrorum ad caput capitis ad membra sit habitudo consimilis, qualem nempe Sponsi et Sponsae in Canticis Canticorum significant dulcia colloquia. Dicens ergo Deus: „Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram“, praecipue dixit: — faciamus Christum; — ita ut in Dei proposito adoptandi homines in filios includatur incarnationis decretum, ut Filius Dei, homo factus, esset primogenitus in multis fratribus. Et merito quidem in illis Dei verbis

intelligitur — faciamus Christum: — nam in primis solum Christum fecit Deus solus, quatenus in hominibus reliquis imago Dei perficitur intervenientibus meritis eorum, in Christo autem perfectissima semper fuit sola emanatione claritatis Dei in animam ejus. Deinde in Christo factus est homo ad similitudinem Dei non solum secundum perfectionem (quam habet in summo gradu) filiorum adoptionis, sed etiam secundum dignitatem Filii naturalis Dei, ita ut de homine Christo possit Deus Trinus cum veritate dicere quod de Adamo peccatore ironice pronuntiavit: — Ecce hic homo quasi unus ex nobis factus est: — et hac forte de causa de homine signanter dixit Deus: „Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram“, cum non solum homo, sed etiam angelus ad imaginem et similitudinem Dei factus sit.

b) Non solum autem perfectio societatis beatorum, incarnationem postulat Filii Dei, sed amor quoque Dei erga nos paternus. Dei enim perfecta sunt opera: et ideo si habet Deus erga nos viscera patris, oportet ut sit nobis benignus usque ad summum, ut ostendatur nihil ei deesse relate ad nos de perfectione paternitatis. De qua Dei erga nos benignitate audiamus Apostolum dicentem: (Tit. III) „Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei; non ex operibus justitiae quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum.“ Circa quae Apostoli verba considerandum est, quod Deus, ut Deus, non ut homo tantum, vocatur ab Apostolo benignus et humanus et salvator; dicit enim Apostolus apparuisse benignitatem et humanitatem Salvatoris nostri Dei, qui effudit in nos abunde Spiritum S. per Jesum Christum Salvatorem nostrum. Porro Christus est Salvator noster tamquam causa nostrae salutis meritoria in humanitate sua; Deus autem est Salvator noster efficienter per donum Spiritus Sancti. Ex divina ergo benignitate, Patris videlicet, Filii et Spiritus Sancti, apparuit Filius in humanitate assumpta; et in ejusdem vicissim humanitatis apparitione ostensa est benignitas sanctae ac individuae Trinitatis: et sic Pater et Spiritus Sanctus facti sunt humani in Filio et cum Filio, qui solus factus est homo. In Filio proinde distinguendae sunt divina benignitas et humanitas assumpta, quae est effectus illius: in Patre autem et Spiritu S. sola benignitas invenitur, quae secundum suos effectus vocatur ab Apostolo humanitas, secundum incarnationem scilicet et alios divinae bonitatis effectus qui illam consequuntur. Re quidem vera, cum una sit Patris et Filii et Spiritus Sancti voluntas, et consequenter benignitas, impossibile est ut Filio inter homines apparente in humanitate sua, Pater et Spiritus Sanctus humanos se non exhiberent hominibus in Filio et propter Filium in effectibus beni-

gnitatis suae. Vis hanc Patris et Spiritus Sancti humanitatem in aliquo facto insigni contemplari? Audi Evangelistam Lucam dicentem: (cap. III) „Factum est autem, cum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato et orante, apertum est coelum: et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum: et vox de coelo facta est: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi.“ Et similiter cap. IX ejusdem Evangelii, ubi sermo est, inter alia, de mysterio Transfigurationis Domini, haec verba de eodem mysterio leguntur: „Et vox facta est de nube dicens: „Hic est Filius meus dilectus; ipsum audite.“ Ecce ergo in utroque mysterio, Baptismi nimirum et Transfigurationis Domini, insignis exhibitio sanctae Trinitatis: et in utroque, cum fiat divinitatis Christi manifestatio et divinae missionis ejus in mundum, Pater, qui lucem inhabitat inaccessibilem, manifestat se hominibus per vocem; et similiter Spiritus Sanctus, qui ejusdem est cum Patre celsitudinis et majestatis, in signo quod eum symbolice repraesentat, in columba nempe et in nube, hominibus se exhibet contemplandum. Quamvis aliter et aliter, prout mysterium quod in Christo agebatur, requirebat, et loquitur Pater, et Spiritus Sanctus repraesentatur in signo. Nam in Baptismo, cum turba illic adstantium nondum venissent ad Patrem per Filium, adhuc enim non noverant Filium, ideo Pater eos non alloquitur, sed Filium, dicens: „Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi“: et similiter Spiritus Sanctus ibi non apparet nisi ut requiescens super Jesum ad confirmandum Patris testimonium. At in Transfiguratione vox de coelo dirigitur ad Christi discipulos; quia cum ipsi jam per Filium venissent ad Patrem, eos Pater alloquitur tamquam filios dicens: „Hic est Filius meus dilectus; ipsum audite“: simulque nubes lucida, ut legitur apud Matthaeum, obumbravit eos, in qua repraesentabatur Spiritus Sanctus, ut Sancta Ecclesia in festo Transfigurationis Domini his verbis confitetur: „In splendenti nube Spiritus Sanctus visus est.“ Porro nubes haec, lucida simul et obumbrans, optime respondet divino oraculo quod ibi discipuli audierunt: nam in audiendo Christo, quem per dictum oraculum discipuli audire jubentur, totius fidei salutaris summa consistit; fides autem clara simul est et obscura, quia lux est et aenigma: quatenus igitur audientes Christum luce fruuntur divinae revelationis, nubes erat lucida; quatenus vero per fidem non videmus Deum facie ad faciem, sed in aenigmate, nubes erat discipulos obumbrans, id est, privans eos visione claritatis transfigurati Domini, irradiationem saltem claritatis ejusdem temperando. Nubes rursus erat lucida, quia nox tunc jam non erat in qua cum dedit Deus legem Moysi, operuit montem Sinai nubes caliginosa; sed dies aeternitatis jam appropinquaverat, quoniam diei hujus aurora in doctrina Christi jam illuxerat. Habes itaque ex

allatis Scripturae testimoniis, quomodo Christi benignitas in homines, quae in actibus apparuit humanitatis ejus, non est nisi expressio vel manifestatio unius divinae benignitatis et paternae erga nos charitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti. Quae benignitas et charitas utique summa est, tamquam optimi patris. Et quidem quod benignitas summa sit, illud fecit charitas, dicente Domino: „Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum Unigenitum daret.“ Porro ad hoc ut Dei benignitas summa sit, non modo requiritur ut cum summa nos fiducia accedamus ad Deum tamquam ad patrem, juxta illud Apostoli: „Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem: Abba, Pater“; sed etiam ut Deus, qui lucem inhabitat inaccessibilem, nostrae condescendat humilitati; quem divinae benignitatis effectum in Christo Jesu Domino nostro licet contemplari. Diversis quidem modis vel gradibus fieri potuit ut Divina Majestas humilitati creaturae condescenderet per unionem hypostaticam; sed modo factum est omnium optimo. Equidem unio hypostatica, quomodo-cumque fiat, communicatio est divinitatis ad creaturam omnium possibilium optima: in ea tamen Dei benignitas plus minusve ostendi potest secundum modum vel gradum quo Divina Majestas humilitati creaturae condescendat, non secundum unionem personalem, ut sic, quae ut quid indivisibile, non admittit magis et minus. Quod spectat in primis ad communicationem Dei cum sanctis in societate beatorum, cum communicatio haec societatis beatae fiat secundum spiritum, Deus per assumptam humanitatem et hominibus et angelis similis effectus est; et consequenter secundum eandem communicationem Deus benignus extitit in angelos pariter et in homines; quamvis spectata inferiori conditione humanae naturae, major est Dei benignitas in incarnatione quam fuisset in assumptione naturae angelicae. Itemque, etiam Adamo non peccante, major fuisset Dei benignitas cum hominibus in terris viatoribus in assumpta humanitate conversantis, quam beatorum tantum societati praesidentis. Assumpsit ergo Deus creaturam inter rationales inferiorem, ut per majorem benignitatem magis ostenderet paternam charitatem suam in filios adoptionis; et insuper ut praeter benignitatem in se creaturae communicando, locus esset, peccato superveniente, benignitati suae exercendae in creaturae miseriis compatiendo, quod, uti ex facto constat, pro homine lapsio oportebat fieri, non pro angelo. Itaque Verbum Dei propter hoc etiam humanae naturae oportebat hypostatice uniri, non angelicae, ut iis qui a peccati servitute redimendi erant, assimilatus, misericors fieret, ut loquitur Apostolus, et fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. Congruum enim erat ut injuria quam homo Deo fecit per inobedientiam, per hominis obedientiam repararetur, juxta illam Apostoli sententiam: (Rom. V) „Sicut per in-

obedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justii constituentur multi“ Et insuper oportebat ut in exercenda obedientia laboriosa per quam salutem consequimur, ipse per quem eramus salvandi, nobis praeiret exemplo. Et propter utrumque Dominus Jesus humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Si ergo Dei erga nos charitas eo benignitatis processit ut Filium suum traderet in mortem pro salute nostra, quanto magis ex eadem Dei charitate Filius ejus, Adamo non peccante, fuisset frater noster absque dolore et ignominia passionis? Posita enim causa efficacissima, qualis est charitas Dei, necessario sequitur effectus ejus: si enim charitas, juxta Apostolum, benigna est, oportet ut Dei erga nos charitas quos adoptavit in filios, in summo benignitatis sit: et quidem, uti ex facto constat, in summo benignitatis fuit: Sublato igitur peccato hominis, summe benignum se exhibuisset Deus in homines humanam assumendo naturam, quia non minus habuisset viscera patris erga filios obediens quam erga inobediens habuit.

c) Nec mirum sane, spectata charitate Dei nos in filios adoptantis, quod Filium suum Vnigenitum fratrem nostrum esse voluerit: siquidem unio hypostatica Verbi cum humanitate non importat aliquam variationem aut demissionem in excelsa illa substantia Deitatis, apud quam non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio; sed contra in summam cedit gloriam Dei divinumque simul humanitatis honorem. Honor, inquam, humanitatis Christi divinus est, propterea quod sit illa aliquid personale Filii Dei; unde cultus patriae absolutus humanitati ipsi exhibetur, quatenus hanc adorare humanitatem est ipsam directe adorare personam Verbi: sed non est divina formaliter humanitatis ipsius physica excellentia, quoniam est perfectio entitatis creatae; quae quidem perfectio non differt specificè a perfectione filii Dei adoptivi, quoniam in gratia consistit et donis Spiritus Sancti; ita ut potuisset Deus, si voluisset, perfectionem Christi humanam puro homini communicare, quo in casu eodem modo perfectio ipsa effectus esset divinae potentiae atque existens in Christo. Sedulo autem adverte non in sensu me absoluto dixisse mirum non esse quod suum Deus Filium Vnigenitum fratrem nostrum esse voluerit, sed spectata charitate ipsius Dei nos in filios adoptantis. Nam incarnatio Domini, in genere communicationum Dei ad creaturam, maximum quidem est mirabilium omnium quae fecit Deus; sed potius quam opera Dei, charitatem quae illorum omnium est causa, oportet admirari: nam admiratio inde provenit quod rei alicujus causa ignoratur, et ideo quanto quis plus intelligat de paterna Dei erga nos charitate, tanto minor erit ex hac parte admiratio ejus de magnis et mirabilibus quae amore nostri operatus est Deus, et infinitam charitatem qua Deus ad se trahit corda nostra, praecipue

contemplabitur: atque laudabit. Et hac forte de causa B. Joannes, charitatem Dei potius contemplanus erga nos paternam quam ejusdem charitatis effectus in filiis adoptionis, et ad extensionem ipsius charitatis attendens, ad modos videlicet illius in eosdem filios exercendae; uno verbo: considerans quid sit habere Deum erga nos viscera patris, admirans exclamat: „Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.“ Equidem charitatem Dei erga nos paternam super omnia nos oportet admirari, quoniam ipsa est propter quam tradidit Deus Filium suum in mortem pro peccatis nostris: quamvis enim hic divinae charitatis effectus potior est incomparabiliter adoptione filiorum, charitati tamen erga filios adoptionis est adscribendus, dicente Domino Jesu: „Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Vnigenitum daret.“ Vterque igitur, Dominus Jesus videlicet ac B. Joannes, per citata verba respective Dei erga nos charitatem super omnia voluit commendatam; quia finis omnium operum Dei amor est creaturae in eum; praecipuum autem nostri erga Deum amoris incentivum charitas est in qua paterno nos complectitur affectu: cujus proinde charitatis considerationi ante omnia animum intendamus oportet, ut non sit concupiscentiae noster Dei amor propter dona quae ab eo accipimus, sed affectu filialis benevolentiae et tamquam in se absolute bonum ferventer illum diligamus, et tamquam in amore nostri infinite bonum ferventius redamemus. Si ergo divinum opus redemptionis nostrae effectus est charitatis Dei erga nos paternae; cum hic effectus multo uberioris pietatis sit quam sola incarnatio absque redemptione, quicumque Dei erga nos charitatis extensionem consideret, non potest incarnationis opus admirari, quatenus, Dei charitas multo major est quam talis poscit effectus. Circa quod rursus considerandum est, quod qui ita nos dilexit ut amore nostri susciperet mala nostra, impossibile est ut nobis non donet omnia bona sua, id est, ut non fieret incarnatio, si non fuisset necessaria redemptio. Si maxima Dei charitas est, quod non modo filii Dei nos nominemur et simus, sed ipse etiam Dei Filius similis nobis per assumptam humanitatem sit effectus; major adhuc, iterum dico, et quidem sine comparatione charitas in eo ostenditur, quod Filius Dei homo factus indigna pro nobis in se suscipere dignatus sit. Quod enim Deus per incarnationem similis nobis effectus est, communicatio divinae bonitatis est, quae per se cedit in Dei honorem et gloriam; non enim repugnat alicui divino attributo humanitatis ad hypostaticam unionem assumptio: sed utique repugnat Aeterno mortalitas, Omnipotenti infirmitas, crucis ignominia Sancto. Quod autem Apostolus incarnationem Domini exinanitionem ejus vocat dicens de eo: (Phil. II) „Semetipsum exinanivit formam servi accipiens“, intelligendum hoc est de infinita distantia inter humanitatem ejus et divinitatem,

quatenus, cum in forma Dei esset, non apparuit inter homines viatores nisi in forma hominis; respectu autem beatorum, quibus Christi divinitas est conspicua, intelligendum est solummodo quatenus actiones et passiones sunt suppositorum denominative, id est, quatenus Filio Dei, qui ejusdem est cum Patre majestatis et gloriae, ob assumptam humanitatem tribuuntur humana. Dei autem Filium mitti in mundum in similitudinem carnis peccati, et indigna pati pro salute hominis, exinanitio est, si dicere licet, multo major et speciei longe diversae, quam loco citato significat Apostolus subjungens: „Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis“; Christo namque, sive ut Deo sive ut homini, honor debetur et gloria. Unde autem tanta Dei erga nos benignitas ut in dilecto Filio suo usque ad summum nostrae condescenderet humilitati, nisi ex charitate vere paterna qua suae nos divinitatis et gloriae voluit esse participes? Equidem, si ad liberam Dei voluntatem attendamus, scire non possumus quae et qualis fuisset, Adamo non peccante, quoad id de quo agimus, voluntas Dei, quia nemo consiliarius ejus fuit: sed ex iis quae Deus de facto voluit, et ex ordine divinae sapientiae, cujus viae pulchrae sunt, conjicere licet summam etiam in eo casu futuram fuisse Dei erga creaturas benignitatem. Profecto Deus libere egit in incarnatione decernenda; sed libertas in actione modus agendi est, non virtus unde actio elicitur. Quod Filium Dei de corde Patris ad nos descendere fecit, potentissima fuit virtus amoris in filios adoptionis, dicente eodem Vnigenito Dei: „Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum Vnigenitum daret.“ Cum igitur adoptio filiorum facta sit per decretum absolutum seu praescindens ab hominis lapsu, amor quoque filiorum, et consequenter incarnationis decretum ejusdem lapsus praevisioni praeintelligatur oportet. Alioquin in Dei proposito adoptandi filios per se non includeretur charitas ex qua misit Deus Filium suum Vnigenitum, siquidem incarnatione supponitur decreta non solius ratione adoptionis, sed ad filiorum ruinam reparandam; itaque charitas Dei erga hominem inobedientem, quod vix credibile est, charitatem erga obedientem in immensum superaret, siquidem ex doni excellentia amoris magnitudo dignoscitur qui donationis est causa. Porro si redemptione non faciendâ non oportuisset Verbum Dei incarnari, (quod contra ex natura rei et ex facto constat convenientissimum esse) a fortiori ad redemptionem faciendam incarnatum non esset; quia quidquid perinet ad honorem Christi et Dei, plus valet apud Deum quam omnis creaturae beatitudo aut perfectio: aliunde vero aliis modis potuisset Deus hominum ruinae atque indigentiae subvenire quam per passionem et mortem Filii sui. Si enim aliud inconueniens in eo esset quod absque motivo hominis redimendi Filius Dei se exinaniret formam servi accipiens, multo majus

sine comparatione in eo esset quod humiliatus est usque ad mortem, mortem autem crucis. Cum igitur ex facto constet mirificam usque ad summum voluisse Deum ostensionem facere attributorum perfectionumque suarum; incarnatio autem sit natura sua opus convenientissimum omnium ad Deum glorificandum; videtur quod etiam Adamo non peccante Verbum Dei incarnatum esset. Sed attendas insuper, quaeso, ad ea quae sequuntur.

d) Si homine non peccante incarnatio non fuisset, motivum principale incarnationis non fuit manifestatio divinae bonitatis nec Dei glorificatio per actus humanitatis a Verbo assumptae, sed lapsus hominis reparatio: nam illud duplex motivum, si supponitur principale, subsisteret etiam secluso hominis lapsu; et eo quidem stante, non deesset incarnatio, quia principale non dependet ab accessorio. — Ad cuius argumenti dilucidationem distinguendum est inter finem et motivum decretorum Dei. Quidquid Deus agat ad extra, finis principalis operum ejus alius esse nequit quam gloria ipsius; et ipse finis est etiam principale motivum quo divina voluntas se determinat ad agendum, si omnia opera ad extra collective accipiantur et per modum unius; et secundum hoc non est distinguere inter motivum et finem decretorum Dei. Si vero ad ordinem attendamus divinae sapientiae secundum dependentiam unius divini decreti ab alio, sic necesse est distinguere inter finem ultimum et motivum decretorum Dei, ita ut motivum sit causa decreti, quatenus motivo non extante non daretur decretum; posita autem causalitate motivi, executio decreti ordinetur ad finem supremum, qui est gloria Dei. Decretum v. g. redemptionis humani generis praesupponit necessario hominis lapsum: non ergo sufficit finis glorificationis Dei ad dandum tale decretum, si non adsit ex parte creaturae motivum, id est, peccatum, quia non datur redemptio sine redimendo. Tali autem motivo datum redemptionis decretum necessario ordinatur, sicut decreta omnia, ad glorificationem Dei tamquam ad finem supremum. Recte igitur procedit distinctio inter redemptionis finem supremum et redemptionis motivum, intelligendo nomine motivi id sine quo redemptio non esset, quantumvis ipsa conferat ad glorificationem Dei. Itaque recte proceditur dicendo quod si homine non peccante incarnatio non fuisset manifestatio divinarum perfectionum atque Dei glorificatio per actus humanitatis a Verbo assumptae, quamvis essent finis principalis incarnationis, non tamen essent ejus principale motivum, quia posito motivo principali, nequit incarnatio deesse; sed motivum, vel unicum vel principale, redemptio esset humani generis. Jam vero, cum motivum sit unde divina voluntas se determinat ad dandum decretum, si Dei glorificatio in humanitate Christi non fuit motivum per se sufficiens vel efficax ad incarnationem discernendam, sed motivum unicum vel principale fuit redemptio

humani generis, sequitur inde quod splendidissima, quae in Christo facta est, manifestatio attributorum et perfectionum Dei non est id quod primo Deus et per se intendit. Nam e duobus alterutrum: aut permisit Deus peccatum ut locus esset glorificationi suae per redemptionem Christi, ita ut ipsa Dei glorificatio in Christo fuerit vel unicum vel principale motivum permittendi peccatum; aut quod primo Deus et per se intendit, fuit solummodo adoptare filios, ex peccati autem praevisione datum est quasi per accidens incarnationis decretum. Si primum verum est, id est, si glorificatio Dei in humanitate Christi fuit motivum, vel unicum vel principale, permittendi peccatum, absdubio glorificationem suam in Christo Deus primo et per se intendit, quin et voluit in eo glorificari quantum possibile fuit, non modo videlicet in excellentia perfectionis quam Christo communicavit, sed in passionis quoque dolore et ignominia quae tum pro amore divinae justitiae tum pro hominis salute Christus libenter sustinuit. Si autem glorificationem suam in Christo primo Deus et per se intendit, dubitandum non est quin vi divinae intentionis vel voluntatis qua de facto decreta est incarnatio et redemptio, etiam Adamo non peccante Filius Dei incarnatus esset. Quoad alterum autem hujus dilemmatis membrum, quis credat per accidens Eum existere (ut hominem) qui caput est beatorum omnium angelorum et hominum, in quo et per quem modo omnium perfectissimo et Deus glorificatur, et ad suum redit omnis creatura principium? Et quidem, respectu voluntatis divinae, per accidens incarnatus esset Filius Dei, si motivum unicum vel principale incarnationis redemptio esset humani generis: nam divina voluntas non potest per se respicere nisi bonum; decretum autem redemptionis supponit creaturae peccatum.

e) Praeterea impossibile mihi videtur, spectato ordine divinae sapientiae, hypostaticam unionem ob redemptionis motivum esse decretam: nam tres divinae Personae sunt aequae offensae per peccatum hominis, et ideo si decretum unionis hypostaticae non praetelligatur decreto redemptionis, non poterat aliqua Persona divina mediatrix fieri Deum inter et hominem, creatam assumendo naturam, ad satisfaciendum pro peccato, siquidem ex aequo singulis Personis divinis satisfactio exhibenda erat; repugnat enim ordini divinae sapientiae quod ipse offensus veniret ad dandam satisfactionem. Si autem praevidens Deus peccatum, vidit etiam, secundum propositum voluntatis suae, Filium suum incarnatum, sic potuit eundem Filium Vnigenitum dare propitiationem pro peccatis nostris. Et congruum quidem valde fuit ut Christus tamquam Filius Dei procuraret honorem Dei per condignam satisfactionem pro peccatis nostris; et tamquam filius hominis procuraret salutem hominum per redemptionem copiosam, sua excellentia et charitate

dignam. Vtrumque autem in humanitate et per humanitatem fecit, in qua habuit unde et Patri obediens esset, et nobis humilitatis atque patientiae exemplum praeberet: non enim in sola divinitate filius Dei est, sed etiam in humanitate, etsi non secundum humanitatem.

f) Postremo verba illa B. Joannis quibus hanc dissertationem incepimus, in isto quo eam claudimus paragrapho exponamus. „Videte, inquit ille, qualem charitatem dedit nobis Pater ut filii Dei nominemur et simus.“ Circa haec verba adverte primo, quod in eis Dei filii nominamur, charitas autem unde filii Dei sumus, non Dei simpliciter, sed Patris esse dicitur. Quid est, quod Pater ponitur principium efficiens divinae filiationis nostrae, Deus autem terminus ad quem respicit filiatio nostra, cum terminus cui filius est correlativus, sit ipsum efficiens filiationis principium; aliunde vero mirari nemo possit quod pater filium gignat, vel qui habet in aliquem non filium viscera patris, eum in filium assumat, et tamen miratur B. Joannes quod eam charitatem dederit nobis Pater ut filii Dei nominemur et simus? Neque enim divina charitas unde filii Dei facti sumus, Patris solius est, sed totius Trinitatis; neque procedit B. Joannis admiratio, si viscera patris erga nos in Deo supponantur, et non potius ipsa sint admirationis objectum. Quid ergo? Si non solus Pater, sed tres divinae Personae dederunt nobis hanc charitatem, ut filii Dei nominemur et simus; nec Deus potest vocari pater respectu nostri dum admirando dicimus quod praefatam ipse charitatem dedit nobis, quia mirari nemo potest quod pater faciat opera patris; quomodo miratur B. Joannes quod eam charitatem Pater dederit nobis? Profecto per Pater non significat B. Joannes totam Trinitatem vel Deum tamquam unum, sed solam Personam primam: quod evidentissimum est, quia sola Persona prima potest vocari pater absque respectu ad creaturam; ostensum enim est quod locus non esset B. Joannis admirationi, si in citatis ejus verbis vocaretur Deus pater respectu nostri. Quod praeterea licet ratione logica confirmare. Nam ut propositio non sonet quidquam redundans, necesse est ut quod per propositionem enuntiatur, in subjecto ejus non sit explicitum. Jam vero Deus non est pater noster natura, sed dignatione sua; et hanc dignationem Joannes admiratur in citatis verbis suis; miratur, inquam, quod Deus pater noster esse dignatus sit, quia miratur quod nos ex Dei charitate filii Dei nominemur et simus; nam Deum fieri patrem nostrum et nos fieri filios Dei unum et idem sunt. Si ergo miratur Joannes quod Pater dederit nobis ut simus filii Dei, miratur plane quod Pater dederit nobis ut Deus sit pater noster. Atqui in hoc ipso quod dedit, factus est pater noster: ergo in propositione qua haec enuntiatur donatio, ipse qui dedit, non est dicendus pater noster; quia non est sup-

ponendus pater noster quatenus dicitur fieri pater noster. Ergo Pater in verbis Joannis non repraesentat Deum unum et trinum cum respectu ad nostram filiationem adoptivam, sed solam significat Personam primam Smae Trinitatis. Sed si Ejus certe sumus filii adoptivi cujus charitati adoptio nostra debetur, quare non dixit B. Joannes: — Videte qualem charitatem dedit nobis Pater (vel dedit nobis Deus) ut filii ejus nominemur et simus? — Profecto si ad charitatem attendamus qua Deus nos adoptavit, non solius Patris filii sumus, sed totius indiscriminatim Trinitatis et sumus et dici debemus, quia una est charitas, sicuti voluntas, trium Personarum. Non ergo ad solam charitatem Dei B. Joannes attendit, ut donum Patris esse diceret nostri adoptionem in filios Dei. Sed si specialis ratio adfuit qua charitatem illam tribus Personis communem Personae primae Joannes esse diceret, quare simul non dixit ejusdem Personae nos filios esse, sed filios Dei? siquidem a quo quis adoptatus dicitur, ejusdem profecto filius nuncupari debet. Respondeo quod per hoc quod Pater ponitur ut adoptans, Deus autem ut terminus ad quem respicit filiatio nostra, duplex significatur mysterium. Nam primum, dicendo nos esse filios Dei, dignitas innuitur filiationis nostrae; et secundum hoc verba S. Joannis sic exponenda sunt: — Videte quanta est Dei erga nos charitas, ut corporei cum simus atque terreni, ipse qui purus spiritus est, et lucem inhabitat inaccessibilem, in suos nos voluerit assumere filios. — Dicendo autem quod eam charitatem ut filii Dei nominemur et simus, Pater dedit nobis, significatur quod Deus nos adoptavit in Christo; nonnisi enim per nostram relationem fraternitatis ad Christum dicitur speciali ratione pater noster ipse Pater Christi, cum adoptio nostri in filios Dei tribus divinis Personis ex aequo sit adscribenda. Nam et Christus ideo ad Patrem, non ad Spiritum S. in Scriptura orasse perhibetur, quia cum actiones sint suppositorum, etsi humanitas ejus a tribus divinis Personis indiscriminatim dependens erat, ipse tamen, ut unus de Trinitate in personalitate sua, ad eum suam dirigebat orationem a quo procedit in divinitate sua, quamvis in eo totam Trinitatem honorabat, cum una numero sit trium Personarum divinitas. Sola ergo divina personalitas Christi ratio est cur ipse ad solum Patrem oraret; et similiter in nobis sola cum Christo fraternitas ratio esse potest cur patrem nostrum vocemus ipsum Patrem Christi; siquidem propter gratiam sanctificantem qua filii Dei constituimur, non solus Pater Christi est pater noster, sed Pater, Filius et Spiritus Sanctus, tamquam Deus unus. Et Dominus quidem Jesus (Joan. XX, 17) antequam Patrem suum diceret esse patrem nostrum, praemisit suam ad nos relationem fraternitatis dicens ad Mariam Magdalenam: „Vade ad fratres meos, et dic eis: Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum.“ Itaque ex

eo quod adoptio nostri in filios Dei charitas Patris fuisse in Scriptura dicitur, concludere licet quod Deus nos adoptavit in Christo. Id ipsum significat B. Paulus dicens: (Ephes. cap. I) „Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus, in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate.“ Porro idem est nos a Deo eligi ut simus sancti, atque nos adoptari in filios Dei; nam quia nos Deus adoptavit in filios, ideo misit Spiritum Filii sui in corda nostra, quo sancti effeicimur. Vnde si electio sanctificationum facta est in Christo, consequens est ut etiam in Christo facta dicatur adoptio filiorum. Hoc tamen intelligatur, spectata praefata identitate in ipso electo, siquidem unusquisque electorum eatenus a Deo adoptatur in filium quatenus ad sanctificationem eligitur, sive eligatur ad gratiam tantum, sive etiam ad gloriam. In Dei autem voluntate discernere necesse est inter electionem et adoptandi propositum: nam electio necessario respicit individuum personam electi; propositum autem adoptandi potest respicere societatem filiorum adoptionis, non determinatis individuis. Equidem respectu angelorum, qui non per generationem sicut homines, sed per Dei creationem singuli esse accipiunt, non est necessaria illa distinctio inter electionem et adoptandi propositum: de hominibus autem ex facto constat divinum quidem eos adoptandi propositum fuisse absolutum, id est, praescindens ab Adami lapsu vel a redemptione per Christum, siquidem lapsus ipse in hoc praecipue consistit, praeter Dei offensam, quod sibi Adamus perdidit totique humano generi divinae gratiam adoptionis; sed quod ad individuorum attinet electionem, non improbabile est ipsam non esse factam nisi spectata humani generis conditione consequente Adami lapsum. Porro infantes qui salvantur, non fuissent praedestinati Adamo non peccante, si supponamus quod originalis statu justitiae in humano genere perseverante, omnes homines fuissent salvi: nam quod homo in infantia ex hac vita decedat, effectus est originalis peccati; naturalis autem ordo postulat ut homo ad adultam perveniat aetatem, ut sic per rectum usum libertatis beatitudinem mereatur: vel aliis verbis: quia sublata morte, propter quam multi homines ad aetatem exercendae libertatis non perveniunt, homines praedestinati salvi omnes fuissent propriis meritis; et proinde non fuissent praedestinati infantes. Ergo non improbabiler infantes qui salvantur in statu naturae reparatae, non sunt praedestinati nisi ex praevisto Adami lapsu. Ergo etiam improbabile non est adultos non esse praedestinos vel electos nisi ratione habita conditionis humani generis Adami lapsum consequentis: siquidem eadem est dignitas humanae naturae in infantibus atque in adultis; neque infantia erit in patria, sed omnes beati perfectae

erunt naturae, et contemplatione fruuntur atque amore Dei: posita autem haec aequalitate conditionis ex parte hominum, nulla ratio assignari potest ex parte Dei, cur adultos, non infantes qui modo salvantur, eosdem numero esse necesse sit qui salvi fuissent Adamo non peccante; siquidem Deus nulli est obligatus, sed omnia operatur secundum consilium voluntatis suae. Neque propositi mutationem in Deo ista involvunt, qui omnia decrevit unico actu atque aeterno juxta ordinem sapientiae suae et electionem voluntatis suae. Jam vero si hominum electio, sive ad gratiam sive etiam ad gloriam, facta est praesciendo ab statu vel conditione humani generis consequente Adami lapsum, e citato loco Apostoli certum esse videtur decretum incarnationis fuisse absolutum, seu praesciendens, quoad substantiam, a lapsu Adami, siquidem in Christo, ait Apostolus, elegit Deus sanctificandos; Christus enim non est Filius Dei tantum, sed Filius Dei homo factus. Sed cum probabile sit electionem hominum factam esse post peccati (secundum ordinem rationis) praevisionem, ideo e citato loco Apostoli inferri nequit decretum incarnationis fuisse absolutum. Beatus autem Joannes non loquitur in citatis suis verbis de hominum electione, sed charitatem Dei commendat homines in filios adoptantis; unde potius significare videtur adoptandi propositum, id est, adoptionem hominum in genere non determinatis individuis, quam electionem individuorum: licet enim dicat: — Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, — per illud nobis non significatur nisi eos accepisse donum illud a Deo qui pertinebant ad Ecclesiam Christi; Joannis autem admiratio non versatur circa personarum discretionem, sed circa charitatem Dei. Si igitur verba Joannis significant, uti ostendimus, divinam filiorum adoptionem factam esse in Christo, et Joannes ibi non loquitur de individuorum electione, sed de adoptione simpliciter, id est, de efficaci homines adoptandi proposito, quod praesciendit ab Adami lapsu; ex iisdem Joannis verbis colligere licet incarnationis decretum fuisse absolutum, quia tale fuit decretum homines adoptandi. Et confirmatur, quia Dei praesertim charitatem ibi Joannes commendare intendit: non enim significat simpliciter donum quod a Deo in adoptione accipimus, dicens: — Videte quam pretiosum donum Pater largitus est nobis; — sed causam donationis, id est, charitatem Patris praecipue considerat et admiratur, dicens: „Videte qualem charitatem dedit nobis Pater“; tamquam si diceret: — Ecce quam bonum, quam benevolum et benignum se nobis exhibuit Pater, nos sibi adoptans in filios! — Jam vero eadem divina adoptio nostri, si ad humilitatem naturalis conditionis nostrae, ut superius dixi, simulque ad Divinae Majestatis gloriam attendamus, sufficiens quidem causa admirationis est, sola spectata excellentia quam ex eodem Dei dono acquirimus. Si vero charitatem Dei consideremus, a qua praefatum donum procedit,

quamque B. Joannes admiratur, non videtur ipsa admiranda ut ejusdem doni causa tantum, sed quatenus in amore Dei erga nos paterno omnes divinae erga nos bonitatis et misericordiae thesauri includuntur, ita ut quaecumque optima et mirabilia possit Deus facere et faciat pro nobis, ipsi suae tamquam patris nostri charitati sint adscribenda. Etenim antequam B. Joannes charitatem Dei nos in filios adoptantis citatis verbis commendaret, jam Dominus Jesus charitatem Dei commendaverat Filium suum dantis pro salute mundi, dicens: „Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum Vnigenitum daret“; quod profecto Joannes non ignorabat: numquid ergo, si alteram charitatem ab altera separemus, ita ut divinum incarnationis decretum non consequatur propositum adoptandi filios, potuisset B. Joannes charitatem Dei admirari propter filiorum adoptionem, cum ille charitatis Dei effectus qui est donatio Filii sui, potior sine comparatione sit effectu adoptionis filiorum; et eadem Filii donatione posita, impossibile sit, ut docet B. Paulus, ut non omnia Deus nobis donet? Non igitur aliam charitatem commendavit Dominus Jesus citatis suis verbis et aliam B. Joannes, sed ambo eandem intensive, et consequenter etiam extensive; quae in verbis Christi summa esse innuitur per suum effectum, qui etiam in verbis Joannis, eandem causam quam Christus illi assignat, significantibus latet implicitus: quid enim est „Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum Vnigenitum daret“, nisi — tanta est charitas Dei in filios adoptionis ut eis dederit quantum dare potuit? — Et quid est „Videte qualem charitatem dedit nobis Pater ut filii Dei nominemur et simus“, nisi — tantae charitatis est habere Deum erga nos viscera patris ut major esse non possit? — et revera patris titulus super omnes Deum movet ad benefaciendum nobis. Sed forte quis mihi objiciat: — numquid Christus factus est propter filios adoptionis, quia dicit incarnationis decretum e proposito consequi adoptandi filios? nam oppositum docet B. Paulus dicens: (I Cor. III) „Omnia enim vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei.“ — Ad hoc respondeo quod quia nos sumus Christi, et non nostri Christus, ideo propter nos factus est Christus: quia sapientia aedificavit sibi domum, nimirum Ecclesiam sanctorum, cujus Ecclesiae Christus caput est; propter quod ipsa Ecclesia corpus Christi dicitur et est, imo Christus et Ecclesia apud Apostolum identificati inveniuntur, quod et ipse Dominus significat dicens: „Ego sum vitis, vos palmites.“ Vnde Ecclesiae glorificatio est gloria Christi; et Christus cum suo corpore mystico quod est Ecclesia, est gloria Dei. Itaque quia nos sumus Christi, id est, membra Christi, ideo propter nos factus est Christus; quia factus est ut caput esset societatis sanctorum, quae est habitaculum Dei. Omnia ergo ordinantur ad Christum, per quem et in quem, teste Apostolo, omnia creata sunt; sed decretum creationis

Christi decretum praesupponit vel in decreto involvitur creandi societatem filiorum adoptionis; hoc enim significare videtur Scriptura vocans Christum Ecclesiae caput, primogenitum in multis fratribus. Et non solum illud innuit Scriptura, sed ipsa forte natura rei illud postulat. Nam quod in Christo creatum est, non persona est, sed humana natura: jam vero in unoquoque genere entis natura suppositum per se non constituens est quid incompletum: unde etsi humana natura in Christo perfectior est quam in omnibus hominibus, si tamen solus homo Christus existeret, nullum esset in hac specie hominis ens completum secundum entitatem speciei, quod videtur inconveniens, maxime cum ens homo intelligentia sit et libertate praeditum. Accedit, quod humana natura suppositum per se constituens est creatura simpliciter, quam per rectum usum libertatis decet ad Deum tendere et obtinere finem suum: Christus autem, etsi dici potest creatus secundum humanam naturam, simpliciter tamen non est creatura; quia in hac propositione — Christus est creatura — praedicatum, cum sit nomen abstractum, non est subjecto simpliciter attributum ratione alicujus formae subjecti ipsius, sed omnino vel absolute cum subjecto identificatum, et consequenter propositio ipsa in rigore logico est falsa; et ideo Christus non tendit ad Creatorem ut per libertatis exercitium assequatur finem suum, quia ipse est Creator et finis omnium entium. Vnio igitur hypostatica humanae naturae cum Verbo supponit in mente divina, secundum ordinem divinae sapientiae, existentiam aliorum hominum; et ad hoc facta est ut Filius Dei in humanitate sua sit societatis filiorum adoptionis complementum, quatenus societati ipsi, cujus membra vivunt de spiritu Dei, dignus est praesidere tamquam Deus, et tamquam homo habet in quo ut societatis caput sit membris homogeneous. Insuper cum omnia per Verbum a Deo facta sint, omnia pariter per humanitatem Verbi quam perfectissime atque pulcherrime ad principium a quo prodierunt, revertuntur, quia homo totius creationis est quasi compendium: placuit enim Deo ut Verbum quod aeternaliter in divinitate oriens, divinae germen est foecunditatis, sit etiam in humanitate assumpta totius creationis fructus; nam omnes creaturae sunt etiam divinae foecunditatis productus, quas in sui humanitate Filii voluit Deus simul collectas, quia quaecumque bona sunt, ei placent in Filio, qui fructus plenissimus est infinitae virtutis suae, et imago perfectissima bonitatis suae. „In die illa (ait Isaias IV, 2, ad ortum alludens incarnati Verbi) erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terrae sublimis.“ Vocatur Christus antonomastice germen Domini, quia quod de Virgine natum est, id unum de Spiritu S. est. Fructus quidem terrae, quia ex Matris substantia natus; sed terrae germinantis de rore summi coeli, quia de Spiritu S. conceptus; et ideo fructus

sublimis. Ecce igitur humanum elementum atque divinum, virtus nimirum Dei et omnis creatura concurrunt ad formandum Christum. Dum ergo clamat ipse Isaias: (cap. XLV, v. 8) „Rorate, coeli, desuper, et nubes pluant justum: aperiatur terra, et germinet salvatorem“, duplicem in hisce verbis sensum agnosce: quia enim Christus vere fructus terrae est, universa physica natura in illis exhibetur quasi materiam ministrans ad formationem corporis Christi; quia vero fructus ipse sublimis est, seu de Spiritu S. conceptus, per rorem coeli Dei virtus et gratia symbolice designatur, Christi conceptionem in Virgine operantis. Disce hinc nihil in operibus Dei vile putare: ecce enim Deus non indignum putavit ipsum terrae pulverem de quo hominem formaverat, ultra angelorum altitudines usque ad Suae Majestatis thronum elevare in persona Christi, in quo conjungens ima summis, creationem universam fecit in fructum pretiosissimum germinare atque florem pulcherrimum, cujus adspectus universam lactificat civitatem Dei; in cujus odore suavissimo, quo totus perfunditur coelestis paradisos, Deus quam maxime sibi complacet, quia sacrificium laudis per quod honorificatur Deus, omnem habet in corde Christi possibilem perfectionem. Audiamus denuo Isaiam de eodem mysterio dicentem: (cap. XI, v. 1) „Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini.“ Quid enim est, de humili radice Jesse oriri Christum Dei potentia, nisi de minimis Deum facere maxima? Porro gloria Davidicae stirpis, nascente Christo, jam evanuerat, et sola manebat radix regiae familiae in hominibus privatis et pauperibus; ex hac autem humili radice fecit Deus speciosam pullulare virgam, sanctam Virginem Mariam coelorum Reginam, quae florem protulit Christum, in quo plenitudo Spiritus Sancti inhabitat. Per hanc autem Spiritus Sancti plenitudinem omnes creaturae, vidente Deo cuncta quae fecit, a minimis usque ad maxima, in dilecto Filio suo, apparent coram eo non modo valde bonae, sed optimae quam maxime; et creatura a Deo adoptata in filiam, in beata anima Christi ad perfectionem evehitur omnium possibilium optimam. Equidem adoptionis nomen in naturam proprie non quadrat, sed in personam, et ideo Christus in nullo sensu dicendus est adoptatus; verum spectato divinae adoptionis effectu qui est unio creaturae cum Deo per amorem filialem, absdubio in anima Christi in summo gradu est adoptionis perfectio. Itaque propter nos, iterum dico, factus est Christus; quia factus est ut societas filiorum adoptionis haberet in eo suum complementum: et ideo nos sumus Christi, quia sumus membra ejus, cujus imagini, tamquam capitis de cujus plenitudine accipimus omnes, adoptionis filios opus est conformes fieri: itemque sumus Christi, tamquam Domini nostri; quia tamquam naturali Filio Dei, et etiam propter obedientiam quam Patri

exhibuit usque ad mortem crucis, data est illi, ut homini, omnis potestas in coelo et in terra. Vnde si omnia creata sunt propter filios adoptionis, quia finis totius creationis amor est creaturae rationalis in Deum; propter quod Apostolus dicit ad Corinthios: „Omnia vestra sunt“; a fortiori omnia creata sunt propter Christum, id est, ad gloriam Christi, quia filiorum adoptionis Christus caput est et Dominus; unde postquam dixit Apostolus ad Corinthios: „Omnia vestra sunt“, immediate subjungit: „vos autem Christi.“ Itaque concludendum, Jesum Christum Dominum nostrum, quia ut Verbum Dei causa est exemplaris, ideo ut hominem, causam esse exemplarem simul et finalem totius creationis, quamvis finis supremus est gloria divinitatis. Propterea Apostolus, omnes creationis fines paucis complectens, ait: „Omnia enim vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei.“ Christus, inquam ut homo, causa est exemplaris et finalis totius creationis; sed ideo exemplaris quia finalis, et non vice versa: nam causa exemplaris omnis creaturae in sensu absoluto est Verbum Dei per quod, ait B. Joannes, omnia facta sunt. Christum ergo, ut hominem, creationis causam dico exemplarem, quatenus cum omnia ad gloriam Christi ordinanda essent, in eum Deus respexit in omnium conditione, non solum quia humanitas ejus totius est creationis quasi compendium, sed etiam quia quos Deus praescivit suos adoptionis filios futuros, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Christum ut causam creationis exemplarem atque finalem nobis exhibet Apostolus, ni fallor, dicens: (Col. I, 16) „Omnia per ipsum (Christum) et in ipso (graece in ipsum) creata sunt.“ Circa hunc locum Apostoli ita Cornelius A Lapide: „Pro in ipso graece est εἰς αὐτόν, id est, in ipsum, puta ad ipsius gloriam, creata sunt omnia. Ita Vatablus. Verum saepe εἰς capitur pro ἐν, id est, in ipsum pro in ipso, et ita accipiuntur hic graeci. Vnde secundo, Anselmus, per ipsum, inquit, quasi causam efficientem cum Patre creata sunt omnia. Filio enim, quia a Patre procedit, tribuitur operatio quasi medians, quam significat praepositio per. In ipso, scilicet quasi in Verbo, idea et sapientia, creata sunt omnia. Sed hoc sensu melius diceretur, per ipsum, scilicet tamquam Verbum et Sapientiam, creata esse omnia. Vnde tertio et optime, τὸ in ipso significat immensitatem Filii, scilicet Filium esse ubique per essentiam, praesentiam et potentiam, adeo ut extra se nihil creare vel agere possit, sed omnia quae creat et agit, in seipso creet et agat.“ Videamus autem quid sentiat ipse Cornelius circa alium locum Apostoli (Rom. XI, 36) ubi legitur: „Ex ipso (Deo) et per ipsum et in ipso sunt omnia.“ Haec porro Apostoli verba ita Cornelius exponit: „Ex ipso, scilicet ut primo effectore, omnia esse acceperunt: Per ipsum, quasi directorem, omnia disponuntur, diri-

guntur, perficiuntur: In ipso, hoc est, ejus virtute, omnia conservantur, durant, operantur. Graece εἰς αὐτον, in ipsum, scilicet omnia respiciunt et tendunt.“ Miror in primis quod cum phrasibus graecis loc. cit. Ep. ad Rom. in tertio ejus membro seu per accusativum in ipsum significet causam finalem, quod et ipse fatetur Cornelius dicens: „Graece εἰς αὐτον, in ipsum, scilicet omnia respiciunt et tendunt“, idem membrum interpretetur laudatus auctor de causalitate efficientiae, interpretationem ablativo latino accommodans, et dicens: „In ipso, hoc est, ejus virtute omnia conservantur, durant, operantur.“ Et magis adhuc miror, quia interpretationem suam dat Cornelius contra id quod ipsa postulat natura rei. Nam per transcriptam phrasim Apostoli tribuitur per appropriationem singulis Personis divinis ea creationis causalitas quae personali cujusque proprietati respondet: quid ergo rationabilius quam Spiritui Sancto, qui significatur per in ipsum vel in ipso, cum per amorem procedat a Patre et Filio, tribuere causalitatem finis, siquidem universa propter semetipsum seu propter amorem sui operatus est Dominus, et finis proinde creationis universae amor est creaturae rationalis in Deum in Spiritu Sancto? Eadem quippe ratione Patri, a quo reliquae Personae procedunt, appropriatur potentia seu causalitas efficientiae; Filio autem, qui procedit per intellectum, appropriatur sapientia seu causalitas ordinationis et directionis rerum in finem. Quomodo praeterea non advertit Cornelius causalitatem efficientiae iudicio suo significari per ablativum ex ipso, siquidem eandem per ablativum in ipso asserit denotari? Quid vero prodest ad vitandam hanc redundantiam verba mutare, si idem repetitur secundum sensum? Si quis vero contendat non tam efficientiam quam immensitatem significari a Cornelio, dum dicit: „In ipso, hoc est, ejus virtute, omnia conservantur, durant, operantur,“ quemadmodum et in expositione alterius supra exscriptae phrasibus Apostoli ad Colossenses eundem ablativum in ipso interpretatur de immensitate Filii; quid, quaeso, immensitati ad amorem aut amoris ad immensitatem, ut immensitas approprietur Spiritui Sancto, siquidem illa Apostoli phrasibus ad Romanos de appropriatione communiter intelligitur? Significat utique immensitatem Apostolus, dum alibi de Deo tamquam uno pronuntiat: „In ipso vivimus et movemur et sumus“; nequaquam vero aliqua ex proprietatibus personalibus Patris vel Filii vel Spiritus Sancti potest fundare appropriationem immensitatis, sed potius in conceptu immensitatis omnia appropriata attributa includuntur, quia immensus est Deus secundum intellectionis et volitionis efficaciam, et consequenter secundum efficientiam. Male igitur interpretatur Cornelius membrum tertium praefatae phrasibus Apostoli ad Romanos. Jamque redeamus ad citatum locum Epistolae ad Colossenses. Incipit ibi Cornelius

expositionem suam dicens: „Pro in ipso graece est εἰς αὐτον, id est, in ipsum, puta ad ipsius gloriam, creata sunt omnia. Ita Vatablus. Verum saepe εἰς capitur pro ἐν, id est, in ipsum pro in ipso, et ita accipiuntur hic graeci.“ Sed dico: numquid accusativus graecus suum proprium non habet significandi modum, ut praecisione facta ab accusativo graeco, interpretatio accommodetur ablativo latino? Si per accusativum graecum, iterum dico, significatur causa finalis, ut ipse agnoscit Cornelius, quare phrasi graeca contempta, de alia causalitate, vel de immensitate, prout heic vult Cornelius, intelligendus est textus latinus? Quid est autem, quod saepe in ipsum capitur pro in ipso? Si hoc intelligatur materialiter, quod scilicet unus casus ponitur pro alio, verum est: sed quid inde? numquid quia mutatur casus, licet mutare phrasis sensum quoad substantiam? Numquid in illa phrasi ad Romanos, de qua supra, quia ponitur ablativus pro accusativo, rationabile est membrum tertium aliter intelligere quam de causalitate finis? Porro duobus modis contingere potest ut ponatur ablativus pro accusativo quin sensus phrasis mutetur: aut enim adhibetur ablativus tamquam accusativo aequivalens, ut cum aliquid dicitur fieri in Domino, id est, propter Dominum vel secundum Dominum; aut mutatio alterius vel reliquarum partium propositionis mutationem postulat etiam in praefato casu obliquo, ut propositio materialiter diversa, non sit diversa, sed alteri identica quoad sensum. Ergo in citato loco epistolae Paulinae ad Colossenses ablativus in ipso non est admittendus nisi ut aequivalens accusativo in ipsum, et non vice versa, ut patet. Atqui accusativus in ipsum non potest significare nisi causam finalem; nam aliam hujus casus interpretationem verbum creata sunt minime permittit. Jam vero, loquendo de Personis divinis, ut sic, ac de earundem Personarum respectu ad creationem, Scriptura per ex ipso denotat Patrem per ipsum Filium, per in ipsum vel in ipso Spiritum Sanctum; ut videre est in praecitata phrasi Apostoli ad Romanos: unde cum in citato loco epistolae ad Colossenses loquatur Apostolus de Filio Dei etiam cum respectu ad creationem, consequens est ut per has particulas per ipsum et in ipsum, quae ad Filium ambae referuntur, non significetur Filius ut Deus tantum, secus enim Apostolus sibi non cohaereret, nam loquens pariter loc. cit. ad Rom. de Personis divinis, per ejusmodi particulas significatis, cum respectu ad creationem, per in ipsum significat Spiritum Sanctum. Ergo particula in ipsum, ibid. ad Coloss., non refertur ad Filium nisi tamquam hominem, et sensus est: — omnia creata sunt ad gloriam Christi. — Particula vero per ipsum, etsi loc. cit. ad Rom. et etiam in Evangelio Joannis, ubi dicitur: „Omnia per ipsum facta sunt“, intelligitur de Filio tamquam Deo, conjuncta tamen cum particula in ipsum,

rationabilius, opinione mea, intelligitur de Filio ut homine; quia ex eo quod Christus est causa finalis creationis, est etiam causa exemplaris ejusdem in sensu supra exposito. — Igitur, ut dissertationis hujus jam finem faciamus, si Christus creatus est ut caput esset et complementum societatis filiorum adoptionis, et consequenter in Dei proposito adoptandi filios decretum incarnationis virtualiter continetur; merito B. Joannes, etiam postquam Dominus Jesus charitatem commendavit qua misit Deus Filium suum in mundum, ad charitatis admirationem nos provocat qua nos Deus adoptavit in filios, dicens: „Videte qualem charitatem dedit nobis Pater ut filii Dei nominemur et simus.“

Ipse Vnigenitus Dei Filius, qui frater noster fieri dignatus est, nos dignos faciat qui sui consortio fruamur aeterno. Amen.

Die Beziehungen des Stiftes Altenburg sowie der umliegenden Stifte, Klöster und Weltpriester-Pfarrren etc. zu dem Piaristen-Kollegium zu Horn in Niederösterreich.

Ein Beitrag zur Geschichte des Studiums und der Wissenschaft in den niederösterr. Stiften, Klöstern und geistlichen Instituten im 17. und 18. Jahrhundert.

Von Friedrich Endl O. S. B. (Altenburg Niederösterr.)

(Schluß zu Heft II.—III. 1903, S. 288—302.)

1738.

7. Martii: Utpote in festo S. Thomae Aquinatis solemne sacrum in Ecclesia nostra ad aram majorem habuit A. R. ac Exim. P. Prior Altenburgensis Justus Stuhr.

29. Aprilis: oppugnarunt theses Philosophicas Eggenburgi apud Franciscanos P. Vice-Rector et P. Colomannus Professor Philosophiae.

20. Maji: Disputatio erat defendentibus D. Jacobo Herberger Imperiali Weileriano ad Noam(?) et D. Casparo Förster, Silesio Lindaviensi ad Poam, sub Praesidio P. Colomanni Philosophiae Professoris et oppugnantibus 4 nostratibus.

22. Maji: Disputatio duplex horis matutinis et pomeridianis habita ex Philosophia; Praesidibus P. Donato et P. Colomanno; defendentibus FF. Hilario¹⁾ Casimiro et Fabiano; oppugnantibus:

¹⁾ Hilarius Leibner a Matre Misericordiae 1712 zu Reichenberg i. B. geboren, 1731 Ordensmann. Instructor der Ordenszöglinge in der praktischen Rechenkunst, Algebra, Dichtkunst, in der griechischen Sprache. Erzieher der Grafen v. Schaffgotsch und der Grafen v. Podstatsky. Verfasser eines gelehrten mythol. Werkes, mehrerer Werke über Münzwerte, eines Werkes über die sogenannte »wälsche Praktika« etc., alles im Manuscript geblieben.